ZACHARIAS HERMANNUS

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, ECCLESIARUM ET SCHOLARUM REIPUB. VRATISLAVIENSIS PASTOR ET INSPECTOR

Auditoribus Salutem precatur.

PASTORUM princeps ipſe Salvator ovibus lætatur præſentibus, errantes quærit, montes, ſylvas, ac præcipitia obire non recuſat: Si morbidam comperiat, odio non inflammatur, ſed mali commiſeratione movetur, ac oviculam curat laborantem, & totius gregis emolumentum, gaudet laſſitudinis eſſe levamentum. Petro commendat agnos ſuos paſcendos, qui paſcebat & Petrum. Paulum vocat vas electionis, Vas dignum & cæleſtibus ferculis repletum, de quo & ſanus eſcam, & infirmus accipiat medicinam. Tales decebat humano generi paſtores & doctores conſtitui, qui & dulces eſſent, & potentes, & nihilominus ſapientes. Dulces, ut oviculas blandè ſuſciperent: potentes, ut ſcripturæ propugnaculo fortiter protegerent: Sapientes, ut ad viam, & per viam ducerent, quâ in cælum itur. In Epiſtolis ad Timotheum & Titum Paulus Apoſtolus ex profeſſo de paſtorum Eccleſiæ officio luculenter & Apoſtolico planè ſpiritu agit, quin & alibi fidorum Eccleſiæ paſtorum typum feliciter exprimit, Scribit enim veri paſtoris eſſe ingenuè & intrepidè mediis in periculis officio fungi: Puram doctrinam, puro animi affectu fideliter docere: ſine aſſentatione, & avaritiâ Deo ſuam conſcientiam approbare: ſeipſum infimis quibusvis, eos lucrifaciendi causâ, ſubmittere: Gregem ſibi commiſſum vitâ chariorem habere: Non ſeipſum, ſed gregem paſcere: Sanctæ & inculpatæ vitæ exemplo cæteris præire: Paternum affectum, ad exhortationes & conſolationes afferre: Omnes deniq; ad vitam piè inſtituendam ardenter urgere. Paulus Timotheum Eccleſiæ Epheſinæ (à quâ vicinæ omnes Eccleſiæ Aſiæ minoris dependebant) non conſulto Petro Epiſcopum & Paſtorem conſtituit, idem Romam à Paulo vocatus eſt, ubi Apoſtolorum tempore & poſtea ad Conſtantinum Magnum uſq; imperante Magiſtratu ethnico clerus tantum fuit & populus. Tandem converſis Imperatoribus ad fidem Chriſti, tribus gradibus ornata fuit Eccleſia Romana, Clero, Magiſtratu & populo. Apud Sozomenum, Theodoſius Imperator Gregorium Nazianzenum patribus Synodi Conſtantinopolitanæ, quæ fuit Oecumenica ſecunda, commendat, & Epiſcopum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ poſtulat. Univerſa ſynodus orthodoxorum Imperatoris accedit ſententiæ. Atq; hoc ipſum antiquis etiam canonibus ita eſt ſancitum, ut in ordinatione Sacerdotum requirantur vota civium, Teſtimonium populorum, & arbitrium Honoratorum. Hinc eſt quòd conditâ pace Religionis, ad Principes & Status Imperij Jurisdictio Eccleſiaſtica translata eſt, quam adhuc debitâ cum determinatione, & certo cum ordine & modo tuentur. Faxit DEUS, ut Spiritus Sancti ductu & auſpicio docentes in Eccleſiâ, ſicut cæperunt, ita animosè pergant, & perſeverent, utq; in illis quæ ad DEI gloriam, ad auditorum ſalutem, & ſuam ipſorum in hac & futurâ vitâ felicitatem ac beatitudinem directa ſunt, perpetuo creſcant, & indies augeantur.

Quia vero Utriusque Epiſtolæ ad Timotheum *eſt immenſa dignitas, & in Eccleſiâ DEI autoritas, quippe quæ continent præcipuos fermè omnes Doctrinæ Chriſtianæ locos, quos in congregatione fidelium extare, & diſcentibus inculcari utile eſt, ſic ut illæ non tàm* Timotheo, *quàm toti Eccleſiæ Chriſti ſcriptæ eſſe videantur;* Explicationem prioris Epiſtolæ ad Timotheum ~~die Jovis~~, horâ nonâ antemeridianâ, cum bono DEO, ordiar. *Addo votum, ut auditores mei re ipsâ ſint Timothei, Deum honorantes, atq; ut ſcriptum hoc Apoſtolicum, ſicut Timotheo, ſit illis etiam utile ad doctrinam, ſeu ad inſtructionem ignorantium: Ad redargutionem in fide errantium: ad correctionem peccantium: Tandem ad inſtitutionem, ut vita moresq; profesſioni fidei reſpondeant. Erit hoc docentium & diſcentium officium abſq; omni dubio DEO gratum, quem veneramur & invocamus, ut* Rempublicam hanc *ſub alarum ſuarum umbrâ Clementisſimè protegat, eamq; jubeat eſſe officinam ſapientiæ & juſtitiæ, ac ſtudiorum emporium amplisſimum, ex quo cumprimis doctrinæ cæleſtis puritas propagetur, ad illuſtrem uſq; adventum Salvatoris noſtri, cui ſoli cum Patre & Spiritu Sancto Trinuni præpotenti DEO Eccleſias & Scholas Vratislavienſes piis votis ac precibus commendo. P: P: Breslæ Calen. Junij Anno 1625.*

VRATISLAVIÆ,
Imprimebat Georgius Bauman. Anno 1625.

Summo adſpirante Numine,

ORTHODOXÆ FIDEI IN AUGUSTANA CONFESSIONE comprehenſæ fundamenta ſolida auſcultaturis, Civitatis Vratiſlavienſis Cæſareæ Regiæq; Gymnaſii utriusq; Alumnis,

Salutem & gratiam divinam cum pace utraq; precatur,

ANANIAS Weber/ SS. Theol. Doctor,
Paſtor in æde Eliſabethana, & reliquarum Eccleſiarum ac Scholarum Auguſtanæ Confeſſioni addictarum Inſpector.

VRATISLAVIÆ,
Excudebat Georgius Baumannus,
Anno M.DC.XLIX.

22
84006/22
84006/23
BIBL. BERNHARD. VRAT.
BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA WROCŁAW

Invigilet, nec vincat eum tortura laboris
Fortior inſurgat: cunctisq; recentior horis.

9. QUÆ COGNATA
- 1. *Decalogus, ſeu leges morales, quatenus de externa diſciplina præcipiunt.*
- 2. *Ethica doctrina. Hinc David Chytræus de ſtudio juris rectè inchoando:* ETHICA *totius juris prudentia origo & fons eſt. Et:* … Bred. tit. 1. de juſtitia & jure: *Cur Imperator ordiatur de* JUSTITIA & JURE *inſtitutionum libros?* Et Weſenbecius In or… *prudentiæ:* LOGICA & ETHICA. Jacob. Martin. in præfat. inſtit. log.
- 3. *Aliæ leges poſitivæ, quæ determinant alias circumſtantias.*

10. QUÆ PUGNANTIA.
- 1. *Veteres Ethnicorum impiæ leges, ut eſt lex Scytharum, de devorandis parentibus ſenio confectis, item Laconica lex, qua lice…*
- 2. *Statuta contraria locorum.*
- 3. *Conſuetudines, quæ fiunt contra bonos mores.* TANTUM! *Plura deſideraturus, legat analyſin Dialecticam. 4. libb. Inſtit. In…*

[*Etſi alterum pedem in tumulo haberem: non pigeret aliquid addiſcere l. apud. 20. ff. de fideicommiſ. libertatibus.*]

Δόξα θεῷ.